omni ſalutis ſpe eſſe excluſos. Reſp. Id repugnat uniuerſali Dei gratiae atque Chriſti merito, quod ad omnes, usque ad interitum mundi exiſtentes homines, ſe extendit. Per Chriſti itaque aduentum, Gentilibus acceſſus ad ſalutem hoc magis, per legis deſtructionem, per hominum cum Deo reconciliationem, per pacis annunciationem, et hiſtoricam adeo horum omnium in Chriſto manifeſtationem, eſt apertus. Tandem particula ἄχρις οὗ, quae inuenitur Rom. XI. 25. non ſolum *tempus interiectum* ad terminum nominatum, ita inuoluit, ut ſpatium, aut tempus alterius excludat; ſed tempus interiectum, ut interim *ſubſequens non* ſemper *neget* aut excludat, prouti legitur Rom. V. 13. 1. Cor. XV. 25. Atque ſic Gentilium ἀναπολογησία, quandoquidem Deus omnia ipſis parauerat et obtulerat, ex proprio ipſorum uitio oritur, culpaque ne minima quidem coniici in Deum poteſt, uti Pſ. XIII. 9. Matth. XXIII. 37. Ez. XIIX. 31. ſeq.

Quin potius Gentiles ipſi cauſae ſunt ſuae ἀναπολογησίας.

IV. Adſtipulandum itaque omnino eſt ſententiae CALOVII, in *Bibl. Illuſtr. N. T. P. II. p. 33.* geminam conſtituentis cauſam ἀναπολογησίας Gentilium; alteram priuatiuam, omiſſionem gloriae et gratiarum actionis, Deo, tanquam creatori debitae, quantam ex natura colligere poſſent, et qualem naturalis aequitas dictitet; alteram *poſitivam*, commiſſam ſcilicet ignominiam in Deum. Si enim media promouendae Dei gloriae a Gentilibus reiiciuntur, nonniſi finis contrarius exinde euenire poteſt. Tale autem ſe exhibet medium, ipſis a benigniſſimo Numine adhuc conceſſa ratio, et lumen naturale, quae omnibus uere adhuc inſunt, ita, ut nullo non tempore, rationali mentis diſcurſu, per gradus, ſecundum *HVLSEMANNVM,* in *auxiliis Gratiae, p. 155.* a τῷ ζητεῖν, ad ψηλαφᾶν, a ψηλαφᾶν ad εὑρίσκειν deuenire queant. Quo multum tres illae uiae, *cauſalitatis*, *negationis* et *eminentiae* conferre poſſunt. In uia ſcilicet *cauſalitatis*, de omnium ipſis occurrentium effectuum exiſtente cauſa, certi fiunt; in uia *negationis*, de remotione omnis imperfectionis ab illa cauſa, tum ob effectuum productionem, tum annihilationem, conuincuntur; tandemque in uia *eminentiae*, ad excellentiam eius cauſae, prae omnibus aliis, ducuntur, atque ſic ſumme bonam ac perfectiſſimam omnium effectuum cauſam, ui rationalis diſcurſus, omnibus Gentilibus inuenire licet; id quod IVSTINVS MARTYR ita quoque, *p. 71.* affirmat: Καὶ τὴν ἀρχὴν, νοερὸν καὶ δυνάμενον αἱρεῖσθαι τἀληθῆ, καὶ εὖ πράττειν, τὸ γένος τὸ ἀνθρώπινον πεποίηκεν, ὥστ' ἀναπολόγητον εἶναι τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις παρὰ τῷ θεῷ, λογικοὶ γὰρ

tribus communibus neglectis uiis,